

Forfatter: Worm, Jacob

Titel: Thesis 13.

Citation: Worm, Jacob: "Thesis 13.", i Worm, Jacob: . - [1968], udg. af ERIK SØNDERHOLM , [1968]-1994, s. 236. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-worm01val-shoot-idm140677732453936.pdf> (tilgået 22. september 2021)

Anvendt udgave: . - [1968]



Thesis 13.

Colitur aliud, immane injuriæ idolum, cum servi, vasalli aut clientes alicujus proprietarii ac Domini, tot tributa, census, ac vectigalia solverint, ut depaupertati et omnibus bonis exuti panem mendicando qvæere cogantur, nullis interim redivibus ad verum Dominum promanantibus, fundô, insuper devastatô: ipse interim Dominus plena Jeroboami tributa et vectigalia pendere teneatur, qvâ tÿrannide immanior excogitari neqvît ulla. Nimiis autem his exactionibus et pressuris qvibus nobiles, ignobiles, divites, si qvi sint, et pauperes pastorum et sacrorum munerum antistites, ut et politicorum promiscuè absque ullô discrimine, fictâ hâc sive ratione, sive excusatione, qvôd omnium tutela ac defensio agitur, obnoxii involvuntur, omnem sui amorem in animis subjectorum exstingvit, everrit et exstirpat, [Jeroboamus,] cum malit metui qvam amari, injectô insuper ori ac [labiis] subjectorum Souverainitatis capi-/strô, loris, frænis, atque habenis, ut nè contra illicitum ac Deo inimicum imperandi modum, [hiscere,] nec eloqvi, nec fari aut agere præsumant. Sed conscientiiis, gemitibus, precibus, ac suspiriis dominari neqvît, [quocirca subjecti non ex